



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Anthologia Sacra

Ex Probatissimis Vtrivsqve Linguæ patribus collecta, atque Octastichis
versibus comprehensa

Billy, Jacques de

Parisiis, M.D.LXXV.

Carnale gaudium nil esse præ spiritali. 4.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50828](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50828)

S A C R A

Ioan. 8.
Lib. 2.
pad. cap.
10.

de vanitate, sed de veritate dicitur, Cognoscetis eam, & liberabit vos. Hæc Bernardus. Ad eundemque modum Clemens Alexandrinus stultos ait, non veris ac solidis rebus, sed iis tantum, quæ specie tenuis atque opinione sunt, animum adiicere: perindeque illis, vt mente captis, accidere, qui alba nigra esse sibi fingunt.

Carnale gaudium nil esse
præ spiritali.

4.

Sidera qui, nunquam spectato Sole, videret,
Aut etiam quæ dat lumina nocte soror:
Nusquam splendidius lumen, nec clarius orbis
Quæ præluceret, crederet esse facem.
Sic quoque qui sancta non sensit gaudia mentis,
Hæc, caro quæ sequitur, gaudia sola putat.
At qui letitiam nouit sensitque priorum,
Protinus huic mundi nil sapit omnis amor.

S C H O L I A.

Plato initio lib. 7. de Repub.

ANTHOLOGIA. 5

quosdam fictè inducit, qui iam inde ab ineunte pueritia in subterraneo quodam antro inclusi atque educati fuerint, nec quicquam vnquam nisi ad facis vmbra viderint: ob eamque causam vmbra ipsissimã veritatem esse sibi persuadeat, nec pulchrius & illustrius lumen vsquam inueniri posse, quàm quo ipsi fruuntur.

Gregorius autem Nanz. carnales homines, qui propterea quòd spiritualis lætitiæ suauitatem minimè degustarunt, corporeas voluptates pro summa felicitate ducunt, piscibus comparat, qui quoniam vmbra duntaxat Solis & Lunæ in aquis prospiciunt, obscura hac luce perinde oblectatur, ac si nulla vsquam clarior ac præstantior esset. Ac proinde idem, vt Nemesisj amorè à rebus fluxis & fragilibus ad Deum cõ-

In præcept. ad virg.

Carm. ad Nemesis.

S A C R A

uerteret, his verbis utebatur: Vtinā Christus pectus tuum sagitta sua transfixisset. Etenim vtrumq; amorem perpēdens, intelligeres profectò quanto suauior sit aculeus ille, quem in hominum pectoribus figit. Atque eodem modo Hieronimus elegantem similitudinem affert, nec multum à Platonica illa remotā. Quomodo, inquit, si igniculum lucernæ videns, contentus essem eo lumine, & postea orto Sole nō cerne-rem quod lucebat, stellarū quoq; lumina iubare viderem Solis abscondi: ita aspiciens elementa, & rerum multiplicem varietatem, admiror quidem operū magnitudinem. Recogitans autem omnia pertransire, & mundum suo fine senescere, solumque Deum illud semper esse quod fuerit, cōpellor dicere: non semel, sed bis,

*Cap. I in
Eccles.*

Vanitas vanitatū, & omnia vanitas. Quin eo quoque antiquior *Hom. 1.*
 Origenes hunc Psalmistæ locū *in Psal.*
 explanans, Veruntamen vniuer- *38.*
 sa vanitas omnis homo viuens,
 ita loquitur: Contemnamus istā
 vitam vanam, & festinemus ad
 sanctam vitam ac beatam & ve-
 ram, & in illam animo & mente
 tēdamus, omni vanitate discussa.
 Nec dicamus dulcem istam lucē,
 qua nunc vtimur. Hoc enim illi
 dicunt, qui dulcedinem veræ lu-
 cis ignorant, sed ne auspicia qui-
 dem veri luminis vlla senserunt,
 nec sciunt angelicam vitam spe-
 randam esse animæ, cū ex vani-
 nitate huius vitæ euaserit. Vnde *Hom. 10.*
 etiam Gregorius, dulce est, in- *in E-*
 quit, in rebus humanis, sed ei *Zech.*
 qui adhuc de cœlestibus gaudia
 nulla gustauit.

At qui letitiam) Qui semel, in-

S A C R A

Hom.
14. in E-
zech.

quit Bernardus in cōtemplatio-
 ne diuinam dulcedinem degusta-
 uit, nescio an ipsam gehennam
 ad tēpus horribilius experiri du-
 cat, quàm post spiritualis huius
 exercitij degustationē aut suauitatem,
 exire denuo ad molestias
 carnis, & ad carnaliū sensuū tu-
 multus. Et D. Gregori⁹ spirituali
 sensu exponēs illud Genesis, vbi
 Iacob post luctā cum angelo ini-
 tā claudicare dicitur, Post agni-
 tionē, inquit, suauitatis Dei, vno
 in nobis pes sanus remanet, atq;
 ali⁹ claudicat, quia necesse est, ut
 debilitato amore seculi, conuale-
 scat ad amorē Dei. Si ergo tene-
 mus angelum, vno claudicamus
 pede: quia dum crescit in nobis
 fortitudo amoris intimi, infirma-
 tur proculdubio fortitudo car-
 nis. Omnis quippe qui vno pe-
 de claudicat, soli illi pedi inni-

titur, quem sanum habet.

Mentis oculos in Deo semper fixos esse debere.

A Equora qui fragili sulcat male fida carina,
 Quid, cursum ut teneat, nocte silente facit?
 Peruigil ad caelum tendit sua lumina, sidus
 Spectat & in boreo iuge quod axe micat.
 Quisquis iter vitæ sequeris, vitæque perennis,
 Ne tua sint terræ lumina fixa, caue.
 Semper at ethereas sublimi vertice sedes
 Conspice: sic tutum latus habebis iter.

SCHOLIA.

Huius carminis argumentum Lactātius mihi suppeditauit, qui lib. 6. Instit. cap. 8. his verbis utitur. Eadem ratione hanc vitæ viā quæri oportet, qua in alto iter nauibus quæritur. Quisquis autem rectum iter vitæ tenere nititur, non terram debet aspicere, sed cælum: & ut apertius loquar